

noster ad commendationem Evangelicae fidei &c. et verum Anselmi Laudun. Commentarium; Evangelium graece; latine bonum nuntium interpretatur &c. Verum nihil dixit Oudin; haec enim duo Initia mox in idem redeunt, ut sub ingressum legisti. Nihil igitur certi conficiemus, Codicibus mss. jam hunc, jam illum ex dictis Autoribus praefixum habentibus, nisi quod non aspernandae videntur rationes, quas pro Guilelmo innuit Theoph. Raynaudus S. J. p. 456. edit. Opp. S. Anselmi Cant. Lugd. 1630. f. ubi et subtextit Περὶ λεγομένων nostri Commentarii inedita arbitratus, quod editionem Antverp. a me supra citatam ignorasset. Exemplum tamen ejus ficit in verbis: *est libri apertio, tam Antverpiensi, quam Codice nostro ultra procurrentibus, et finientibus: tum per regnum, tum per ejus divinitatem.* In ipso porro Commentario etiam Editio dicta et Codex frequentissime, idque non parum inter se discrepant. Finit illa: *quemadmodum vidistis eum euntem in coelum; et hic: oriente jam sole, non orto ut nostri codices habent.*

Theca utraque interior membranis talmudicis admodum vetustis constrata est.

CLXV.

U. 48

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 120. f. per duas columnas exaratus, auro, coloribusque distinctus praenotatur: *Hunc librum honorabilis uir Domi-*

*nus Berchtoldus de emmerstorff Cappellanus Domini Anthonij quondam prepositi ad Sanctum stephanum assignavit pro libraria Collegij ducalis. Cui retribuatur omnium retributor. Antonii hujus IV. Praepositi ab a. 1390. ad an. emortua-lem 1406. Acta texuntur in Specim. Hist. Cancellarior. Univ. Vien. p. 44. Complectitur porro Codex Postillas Nic. de Gorran O. P. Scriptoris Sec. XIII. jam memorati in Matthaeum, quae post alias Editiones, quas videre est in Fabricij Biblioth. lat. med. aevi, prodire cum aliis Evangelistis, curante Jac. Le Gall O. P. Lugduni 1692. Tomis II. f. Nulla, quod mirere, Editionis hujus mentio in Scriptt. Ord. cit. T. I. p. 440. Magis mirum Operis principium, quod ibi e Mss. citat Quetifus: Liber generationis. Sicut fluvius Paradisi &c. Istud enim non nisi C. I. Postillarum ipsarum principium est; praecedunt vero in Codice nostro non modo duo Praeloquia, sed etiam Expositio Prologi Hieronymiani in Matthaeum, quae hinc a Codicibus Quetiff abfuisse dicendum est. Neque multo felicior Editor Le Gall, qui, licet Expositionem dicti Prologi habeat, non tamen duo illa Praeloquia in Exemplis suis invenit. Praerogativam igitur meretur Codex noster ob haec Praeloquia, quae haecenus non videntur prelo subjecta fuisse. Atque primum in illud: *Egredimini et videte filiae Sion &c. Cant. 3. incipit: Quemadmodum unumquodque opus ex suis principiis in esse progreditur.**

Ita

Q 3

*Ita ex laude principiorum suorum laudabile iudicatur. &c. Alterius in illud: Generationem ejus quis enarrabit &c. Isa. 53. initium est: Cantate deo canticum novum quia mirabilia fecit. fecit enim de simplici piscatore primum papam &c. Est porro etiam circa finem harum Postillarum observandum, terminari eas in Editis: coelestium terrestrium et infernorum; in Codice vero addi: Item queritur de forma baptismi. Unde suspicari subit, eas ne hic quidem integras et completas esse. Id quod e collatione plurium Exemplorum decidi posset. Subjecit Librarius: *Explicit postilla f. Nicolai* (additum Gorrani coeva manu) *Super Matheum.**

Ad compingendum Codicem antierius adhibita est Membrana continens Instrumentum Curiae Parisiensis, quò a. 1299. textitur Inventarium relictorum Bonorum Mariti, cujus abscissum nomen, et uxoris *Ysabelle filie defunctorum Danielis de Moriaco et Johanne Quadrigarie*; posterius vero Membrana autoritate ejusdem Curiae continens Testamentum Feminae cujusdam, cujus pariter abscissum nomen, *relicte quondam defuncti Johannis mangni piscionarii piscium marinorum, nunc uxoris laurenrij de malo abneto ciuis parisiensis*, anno, ut videtur, 1310. conditum. Utrumque Instrumentum multa Rerum utensilium Vocabula latinobarbara subpeditat, et argumento est, Codicem e Francia in oras nostras olim delatum fuisse.

CLXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 49
Folior. 313. f. per duas columnas luculente exaratus et rubricis distinctus, ducalique Collegio adtributus ab eodem *Berchtoldo de Emmerstorff* continet ejusdem *Nicolai Gorrani Postillas in Evangelium Lucae*. Earum initium: *Disciplina medici exaltabit caput illius &c.* et finis: *et opportunitatem. non more duracionem continuam. Deo gratias.* Nempe ut edit. cit. T. II. a p. 1. ad p. 466.

CLXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 52
Folior. 417. f. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus, quamvis Autorem nullibi prodat, idem tamen *Nicolai Gorrani* Opus est. In posteriore Theca Carmina quaedam moralia mendosissime adscripta sunt.

CLXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. U. 79
Folior. 160. 4. currente calamo scriptus continet *Nicolai de Lira* O. M. a. 1340. vivis exemti *Postillas in Evangelium Matthaei*, quibus tamen pleniore sunt, quae passim typis excusae prostant. Praeloqui initium est: *Quatuor facies vni. ezech. p°. Per ly vni intelligitur causa efficiens evangeliorum &c.* Expositionis in 1. Prologum: *Matheus. Hic est primus prologus beati Jeronimi &c.* In 2. Prologum: *Matheus. In isto prologo*